

et in futurum inesse poterit, in silvis, in campis, in agris cultis et incultis, in pratis et pascuis, in arboribus et arbustis, in hortis et areis et ceteris redditibus iam dictae sanctae Aerae ecclesiae conventui de consensu capituli nostri contulimus hilari voluntate iure proprietatis perpetue possidendam, sub interminatione anathematis firmiter inhibentes, ne quis temerario ausu ipsum conventum perturbet haec vel alia eius bona minuendo seu contumaciter abstrahendo; quod si quis attemptaverit, diuinae ultionis et nostrae excommunicationis sententiam se noverit incurrisse. Ut autem haec nostra donatio rata permaneat in futurum, praesentem paginam inde conscribi et sigilli nostri et capituli nostri testimonio fecimus roborari. Huius rei testes sunt Petrus decanus Misnensis, Sifridus de Pygavia, magister Waltherus, praepositus Vlricus de Schylov, Everhardus, Hermannus de Liznik Misnenses canonici, Gotschalcus Worcinensis canonicus, Johannes Slawus, Heidenricus, Wolquinus, Henricus de Lomatz regulares canonici, dominus Meinherus Misnensis praefectus, Thymo de Radeberc, Arnoldus Quaz, Ramvoldus de Schirin, Guntherus de Muschuitz, Rudegherus de Criguiz, Johannes de Muschuitz et alii quam plures fide digni. Acta sunt haec Misnae anno domini M^o.CC^o.XLII^o., pontificatus nostri anno III^o. indictione XV^a.

Nach zwei Originalen im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Die an dem einen mit blassgelber Seide, an dem andern mit weissleinenen Fäden befestigt gewesenen Siegel sind nicht mehr vorhanden.

No. 157. 1243. 9. Aug.

B. Conrad beurkundet, dass der Verkäufer von Grossranis den richtigen Empfang der Kaufsumme bekannt und erklärt habe, das dort zu entrichtende Forstkorn gehöre der dasigen Kirche.

Cunradus dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus omnibus praesens scriptum inspicientibus salutem et veram in domino karitatem. Quoniam circa emptiones possessionum et earum solutiones illorum testimonia maxime requiruntur, qui factis emptionibus interfuerunt, ideo necesse est, ut ipsi singularum constitutionum seu solutionum tempora fideliter protestentur. Igitur cum venditioni villae quae vocatur Ranis maius interfuerimus et de nostro consilio cuncta fuerint ordinata, notum esse cupimus tam praesentibus quam futuris Cristi fidelibus, quod Scesimo miles de Schosebrode coram nobis est publice protestatus, A. praepositum et conventum ecclesiae sanctae Aerae in Misna pecuniam, quam sibi pro ipsa villa solvere tenebantur, infra terminum unius annis a tempore emptionis eiusdem villae eidem totaliter persolvisse, centum videlicet et quinquaginta quinque marcas, et ipsi nihil penitus ulterius teneantur. Protestatus est etiam annonam foresti quae vulgariter dicitur vorstkorn, tam a feodalibus quam a censualibus mansis dandam a suis antecessoribus assignatam, ad ecclesiam eiusdem villae dotis titulo pertinere. Et ne alicui de iis, quae coram nobis protestatus est, dubietas oriatur, praesentem paginam inde conscriptam sigilli nostri testimonio fecimus communiri. Datum in Misna anno domini M^o.CC^o.XLIII^o. V^o. idus Augusti, pontificatus nostri anno IIII^o.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel an weissleinenen Fäden.